

rebus ad bellum necessariis imparati Neapolitani sunt, ut vix
 primum hostium conspectum ferre queant. His accedit, lon-
 go terrarum tractu ab aliis Cæsaris ditionibus semotos esse,
 ut ægre subsidia inveni, facile admodum terra, marique peti
 possint. Expeditioni Aurelium filium ducem designat; illi
 vos adungere socios cupit; ea auxilia, quæ nullo incommo-
 do publico præstare potestis, petit; idque meo veluti jure polli-
 ceri possum, vestræ benevolentiae argumenta sibi pergrata adeo
 fore, ut mirifice se Reipublicæ devinctum fateri debeat. Ne-
 que contemnenda hujus fœderis præmia, ac fructus desert,
 Apuliæ portus, atque universam oram, quæ, Lautrechio bel-
 lum gerente, in vestra potestate erat: ac si quid præterea
 deposcitis, omnia ab optimo, munificentissimo, atque amicis-
 simo Reipublicæ Rege expectare licet. Amplissimum Galliæ re-
 gnum, Regem eximium, filios, & præcipue Aurelium Du-
 cem, adolescentem supra ætatem omnibus regiis virtutibus ex-
 cultum, demeremini. Hoc fœdere egregium hunc, ac singu-
 larem regii Gallici stipitis surculum Italico solo inserere pot-
 estis, qui in Italum Principem, Reipublicæque vestræ fi-
 lium evadet: cum enim prudentia, & virtute mirifice pol-
 leat, eos patres, atque sui regni servatores optabit, quorum
 consilio, & auxiliis imperium adeptus fuerit. Quid vero il-
 lud moror, quod in primis summi momenti censeretur debet, huic
 fœderi a Republica inito, statim socium Pontificem Maxi-
 mum futurum, ea perplexitate consiliorum relicta, qua frustra
 reipublicæ christianæ pacem, atque Italiæ quietem speraverat?
 Quod vobis pro certo minime affirmarem, nisi Pontificis
 mentem, & voluntatem haud secus, quam Regis, cognitam,
 ac perspectam haberem. Nemo vero ignorat, quot ex hoc fœ-
 dere in commune bonum præsidia sint emanatura; quam alta
 Galliæ, atque Italiæ securitas, ac tranquillitas sit exoritu-
 ra. Neque minima e Pontificis ditionibus ad Neapolitanum
 regnum invadendum adjumenta peti poterunt, vel regionum
 propinquitate, vel ad hostium subsidia avertenda facilitate,
 vel sociis, milite, & commeatu juvandis opportunitate. Nul-
 lus est enim qui non sibi summa omnia a sapientissimo, eo-
 demque potentissimo Pontifice polliceatur. Vel hoc certe uno
 eo gratiorem societatem vestram Regi futuram existimare de-
 betis,